



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684

Ad Quæst. 21. Additio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Superiores parvorum Conventuum in Italia, qui ex decreto Innocentii X. omnimoda jurisdictioni Episcoporum tanquam Sedis Apostolicæ delegatorum subiecti fuerunt, teneri ad eorundem Episcoporum Synodos accedere.

Ad Quæst. 21. *Additio.*

De clausula: quatenus sacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adverteatur, adverte quod contra interpretationem Hieronymi à Sotob hoc loco à d. Auctore allatam, aperte tenet *Fagnan. in cap. Canonum sacra. numer. 23. de consuet. & in cap. Tuorum. num. 26. de privileg.* Et meliori quidem ratione, cum enim, ut legenti & intuenti patet, Canones sacri Concilii Tridentini nil aliud sint nisi definitiones & dogmata fidei, contra quæ nec ipse Summus Pontifex indulta & dispensationes concedere potest, proflus ineptum videtur per supradictam clausulam Canones & dogmata Concilii Tridentini præservare velle, & non potius antiquos Canones Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium in materia disciplinæ Ecclesiasticæ editos.

Ad Quæst. 23. & 24. *Additio.*

De materia visitationis locorum & personarum exemptarum. *vid. Fusc. de visit. lib. 2. cap. 8. & cap. 26. Roderic. quæst. regul. tom. 1. quæst. 36. art. 3. Zerolam. praxi Episcop. par. 1. verb. visitatio & par. 2. verb. exemptus. Azor. Instu. moral. par. 2. lib. 3. cap. 40. Barbosa in Collectan. ad Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 8. & 9. & sess. 25. de Regular. cap. 8. & cap. 11. latè Fagnan. in cap. Grave. num. 11. & seqq. de offic. Ordin. & in cap. nullus. num. 23. & seqq. de Paroch. ex quibus omnibus breviter elici possunt sequentes conclusiones.*

1. Ecclesias exemptas qualcumque visitat Episcopus uti Sedis Apostolicæ delegatus præter Regulares in Congregationem redactas, vel quæ Ordinum suorum capitibus subsunt. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 8. sess. 25. de Regul. cap. 8. & 11. sess. 21. cap. 8. Si tamen his etiam imminet cura animarum, visitari quoque possunt quoad concernentia d. curam.

2. Ecclesiæ nullius Diocesis seculares visitantur vel ab Episcopo intra curiam Diocesis limites sunt constitutæ ex cap. 10. sess. 23. vel à viciniori, si sint extra fines cuiuscunque Diocesis. cap. 9. sess. 24. Regulares verò nullo modo ab Ordinariis visitari possunt. cap. 11. sess. 25. de Regul.